

## [5] *Benedictio Clare et sororibus in scriptis missa [BenCI]*

«In illa hebdomada qua [migravit] beatus Franciscus, domina Clara, Ordinis sororum prima plantula, [...] cum esset tunc valde infirma et timeret mori, antequam beatus Franciscus, plorabat amaro animo et consolari non poterat quia ante obitum suum videre non valebat unicum patrem suum post Deum, videlicet beatum Franciscum, consolatorem<sup>1</sup> utriusque hominis ac etiam primum fundatorem suum in gratia Dei. Et ideo per quemdam fratrem beato Francisco significavit [...].

Sed considerans beatus Franciscus, quoniam quod desiderabat, videlicet ipsum videre, tunc fieri non posset, quoniam uterque graviter infirmabatur, **ad consolandum ipsam scripsit ei per litteram suam benedictionem, ac etiam absolvit ipsam ab omni defectu, si quem habuisset, in eius mandatis et voluntatibus et mandatis et voluntatibus Filii Dei.** Insper ut deponeret omnem tristitiam et consolaretur in Domino, non ipse, sed Spiritus Dei locutus est in eo hec verba dicens eidem fratri, quem ipsa miserat: “**Vade et porta litteram hanc domine Clare** et dices ei quod deponat omnem dolorem et tristitiam, quia modo me videre non potest; sed in veritate sciat quod ante obitum suum tam ipsa, quam eius sorores me videbunt et maximam consolationem de me habebunt”».

(*Compilatio Assisiensis*, 13: *Fontes francescani*, 1490-1; cfr. *Speculum Perfectionis*, 87: *Fontes francescani*, 1993-4).

---

<sup>1</sup>Paolazzi *erronee* consolatorem.